



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 15. Joannis Moncorvini expeditio apostolica continuatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

diu noctuque solícite ac toto animo meditantem modos succurrendi terræ sacrae. Deinde cuncti Europæ Reges ac Principes inter se pacem colunt, & omnes variis in regnis Christiani ardent studio induendi crucem. Insuper ethnicorum potentia mirifice concidit tam per bella Tartarorum, a quibus cruento nuper prælio sunt victi, quam ex imbecillitate hodierni Sultani Ægyptii, hominis imbellis inertisque. Saracenorum Principes ac Sultani omnes, qui Ægyptio, cum res postularet, subsidia mittebant, Tartarorum viribus succubere: & qui solus remanserat, Sultanus Merdenfis pariter eorum jugum subiit amissis terris suis captus. Demum Tartari Christianis suppetias contra Saracenos offerunt: & hæc unica est causa, ob quam Rex illorum Carbanda fratris sui Casani vestigiis insistens Legatos misit.

## §. XV.

*Joannis Moncorvini expeditio apostolica continuatur.*

Christiana religio per labores Joannis Moncorvini ex Ordine Minorum magnos in Tartaria progressus faciebat: ut Papa hoc ipso anno comperit. Frater Thomas Tolentinus ejusdem Ordinis ex Tartaria

Sæcul. XIV.

A.C. 1307.

Sup. lib. 90.

§. 46.

Vading.

1307. n. 6. 7.

MS. Colb.

n. 5496.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1307.

Tartaria reversus attulit a Fratre Joanne litteras Cambali dominica, cui nomen Quinquagesimæ, 13 Febr. 1306 datas; in quibus hic agebat ex quadam Æthiopiæ parte venisse ad se Legatos, orasseque, ut illuc cum ipsis iret, aut viros mitteret apostolicos; quia a tempore S. Matthæi Evangelistæ ac discipulorum ejus nullum habuissent Magistrum; & plurimi tantum nomine Christiani essent, credentes in Christum sine cognitione divini codicis, vel dogmatum religionis. Addebat Joannes se a festo Sanctorum Omnium die quadringentis hominibus vitales aquas aspersisse; & complures utriusque Ordinis fratres (Prædicatores intelligo ac Minores) adiisse Persidem & Gazariam Evangelii promulgandi causa.

Frater Thomas hujus epistolæ lator, postquam in Italiam rediens curiam Romanam in Gallia esse audierat, eo profectus Cardinalem Joannem Murium, qui Minorum Minister Generalis fuerat, de progressu expeditionis sacræ coram edocuit. Cum is rem ad Papam & Collegas suos retulisset, Thomas ad Senatuum pontificium vocatus repetita narratione sua supplicavit, ut mandata daret ad divini operis curationem & incrementum spectantia. Papa ob tam prosperum rei successum perfusus gaudio Con-

salvum

salvum tunc ejusdem Ordinis Ministrum Sæcul. XIV.  
 Generalem jussit protinus de consilio sapientissimorum Fratres septem probos A. C. 1307.  
 doctosque seligere, qui initiarentur Episcopi, & in Tartariam mitterentur; ubi Fratrem Joannem Moncorvinum consecrarent in Archiepiscopum totius Orientis, & Suffraganei ejus permanerent. Igitur Consalvus elegit istos Fratres, Andream Perusinum Theologiæ Professore, Nicolaum Bantranum seu Apulum, Petrum Castellensem, Andrucium Assinatem, Guilielmum Franchianum seu Villalongensem, Gerardum, ac Pe-regrinum.

Papa cuilibet collati muneris publici diploma præbuit, quod erat idem exceptis nominibus, & scriptum in hanc sententiam. Considerantes magna opera, quæ Frater Joannes Moncorvinus per divinam gratiam fecit in Tartaria, & continenter ibi etiamnum facit, eum creavimus Archiepiscopum ingentis urbis Cambali; omnium in regno Tartarico animarum gubernationem illi concedimus; ad propagandam latius illas per terras fidem & animarum salutem te adiutorem ei submittimus, ac ejusdem Imperii Episcopum designamus, tribus Cardinalibus Joanni Episcopo Portuensi, Joanni Presbytero de SS. Marcellino ac Petro, & Lucae Diacono de S. Maria in via

*Rayn. 1307.  
n. 29.*

Sæcul. XIV. *via lata* præcipientes, ut te in Suffraganeum illius inaugurent. Et largimur tibi tuisque successoribus Episcopis omnes gratias, quas nuper contulimus Ordinis tui Fratribus, qui Saracenos aliosque ethnicos adeunt. Dabat Pictavi 23 Julii anno 1307.

## §. XVI.

*Fovetur molitio contra Constantinopolim.*

**I**nter vias recuperandæ Palæstinæ Papa Clemens numerabat semper Caroli Valesii molimen in Constantinopolim. Hic enim Princeps anno priore Lugdunum venerat, cum ille coronaretur: & ibi consilium oppugnandæ illius urbis, quod Carolus sub pontificatu Benedicti XI susceperat, ita tractatum fuit, ut Papa eum magnopere animaret ad hanc expeditionem bellicam, & hujus gratia multas ederet litteras. Hoc anno 1307 ad Archiepiscopum Ravennatem, & cunctos Æmiliæ Episcopos scripsit se velle hunc in finem classicum sacrum cum Christianis omnibus utriusque Siciliæ, Romandiolæ, Marchiæ Anconitanæ, ac territorii Veneti: reique curam per Æmiliam seu Romandiolam his injunctis Præsulibus. Dabat has litteras 14 Martii;

*Sup. lib. 90.*

*§. 42.*

*Rayn. 1306.*  
*n. 2.*

*Rayn. n. 6.*

*Ducange*  
*hist. C. P.*  
*p. 225.*